


qua oratione, aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus erit.

## CAPUT 2.

### ABSOLUTIONIS FORMA COMMUNIS.

um Sacerdos pœnitentem absolvere velit, iuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

2. Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit: Indulgéntiam, absolutiónem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dóminus. Amen.

Dóminus noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vínculo excommunicatiónis, suspensiónis, et interdícti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

3. Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum suspensiónis. Ep'scopus autem in absolvendis fidelibus ter signum crucis facit.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Mariæ Virginis, et ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, et mali sustinúeris, sint tibi in remissionem peccatorum, augméntum grátia, et præmíum vitæ æternæ. Amen.

4. Justa de causa omítti potest Misereatur, etc., et satis est dicere: Dóminus noster Jesus Christus, etc., ut supra, usque ad illud: Pássio Dómini nostri, etc.

5. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, Sacerdos breviter dicere poterit:

Ego te absolvo ab ómnibus censúris et peccatis, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.